Quelle: http://manuscripta.at/?ID=26285
Copyright: Admont, Benediktinerstift

situm et uirtutem non desereret monachi. Reuera his duobus ecclesie
patribus magnificis celestis aule primatibus beato MARTINO et
beato VDALRICO satis laus illa conuenit, qua celestis ille spon
sus sponse sue singula queque membra laudans, inter cetera sic
ait. Duo ubera tua, sicut duo hynnuli capree gemelli. Si
ubera hec simpliciter accipere uolumus, quid queso utilitatis, quid ue
istorum excellentie beatorum congruum in eis inuenire possumus? Sed
si subtili sensum hunc perquirimus indagatione, non incongruenter
assimilari cognoscimus duobus hinnulis capree duo quedam ube
ra, congratulationis et compassionis, quibus isti sancti omnes ecclesie filios
nutrierunt, quos ipsi Christo doctrine uerbis et uite exemplis ge
nuerunt. Hos siquidem quos in fide catholica stabiles et bonis
operibus instare uiderunt, sinistro ubere congratulationis exhor
tando aluerunt; his uero qui aliquam tribulationem habuerunt uel an
gustiam, ex ubere dextro compassionis lac adhibuerunt consolatio
nis. Debet etiam electus a Deo quilibet prelatus subditos suos his
duobus pascere uberibus, uidelicet ut singulorum exegerit uita, singulis
quibusque administrare debet doctrine sue nutrimenta. Hinc PAV
LVS ait. Gaudere cum gaudentibus, flere cum flentibus. Gaudet cum
gaudentibus cum his quos alacres in bona operatione uidet congra
tulatur, et ut ad meliora proficiant adhortatur. Flere cum flentibus
dicitur, cum aliquem ex aliqua temptatione pusillanimem et contritum
compaciendo consolatur. Sunt nimirum et alia quedam duo ubera,
quibus semetipsam nutrire queque felix debet anima, sinistrum scilicet
bone operationis, et dextrum assidue contemplationis. Qualia uero di
cuntur esse hec ubera? Sicut duo inquit hinnuli capree gemelli.
Hinnulus agilis est, caprea uero perspicax, quia et quisque electus debet
duo hec habere, agilitatem et perspicacitatem; agilitatem in operatio